

SENTENCIA DE LAS minas de Montaluan.

ATTEN. Conteñ. &c. Pronuntiamus Ioanni Michaeli del Prado princ. M. de Agreda Proc. & suis hæredibus & successoribus, & habentibus ius & causam ab eo pertinuisse & expectasse, pertinere & expectare ius potestatem & facultatem inquirendi, inuestigandi, atque efodiendi in terminis Villæ de Mõtaluan, & suarum Aldearum, & quolibet parte illorum, quecunq. metalla, Auri, Argenti, Plumbi, Estagni, Eris, Ferri, & aliorum quorumcunque metallorum, quibusuis generis vel speciei existant (demptis tamen creti fodinis vulgo nuncupat. de Açabache, Alumbres, Caparros, & terræ de Seuillæ, vsque modo inquisitis. inuentis & descopertis, per homines de Montaluan, aut alios quoscunque,) dictosq; Iuratos, Concilium & Vniuersitatem, vniuersaliter, & singulariter teneri obligatos fore fuisse, & esse eosdemq. condenarij ad patiendum, tollerandum, & permitendum patientiamq. præstandum dicto Ioanni Michaeli del Prado, & suis hæredibus & successoribus ac quibusuis, ipse velet ordinauerit, & mandauerit quatenus dicto Io. Michaeli del Prado, & sui desuper nominati, inquirant, vestigent, & efodiant metalla prędicta quęcunque, saluis tamen iuribus Regiæ Curiæ debitis iuxsta tenorem Priuilegij gratiæ & concessionis per Cęsaream & Chatolicam Maiestatem Caroli Quinti maxime Romanorum Imperatoris, & Domini nostri Regis Aragonum, inuictissimi & inmortalis memorie, eidem Ioanni Michaeli del Prado concessi, & concesse, & hoc sine damno hęreditatum quarumcunque dictorum de Montaluan, aut cuiuslibet eorum, aut saltim soluto per eum

prius

prius damno si quod ratione inuestigationis inquisitionis, vel effossionis, prædictarum dictorum hæreditatum inferatur, aut infereretur, dominis prædictarum hæreditatum, & alijs dictam metallornm inuestigationem, cum effectu non præocupantibus, & quod possit ingredi ad inquirendum metalla sine præiudicio dominorum prędiorum, in quibus sita sunt inquerere prius cum effectu volentium, quod vero ad omnia alia in dicta petitione pro parte dicti Ioannis Michaeli del Prado, seu M. de Agreda eius princ. contra homines de Montaluan, in præsenti processu oblata, contenta, & expræssata, dictos de Montaluan conciliariter, & singulariter fore & esse absoluendos, prout absoluimus, neutram partium in expensis condemnando.